

13640. 48

11180

CONTINEN
TVR HOC LIBELLO M. AN
TONII SABELLICI AD INTE
meratam Christi genitricē Mariā
Elegiæ xiij. eleganti stilo poe
tico cōpositæ, nec tamen
ob id libidinosæ.

STANISLAI HOSII AD LECTO
REM EPIGRAMMA.

Furta legant alij Cyleni, stupra Tonatis,
Armigeram è cerebro Pallada progenitam.
Femore prognatum, lētos qui reddit, lacchum,
Nugas quæ pensi nullius esse solent.
At tu, cui cordi est pietas, hæc candide lector
Volue quibus poteris mox magis esse pius.
Quæ cœanit uates diuino peratus cœstro
Pro solo sanctæ matris honore Dei.



PRAECLARAE INDOLIS ADOLE-
SCENTI, MAGNIFICO DOMINO GABRIELI.
Drugetho Homonrio, Franciscus Buzas Vybelinus sat
larem precatur cū inseruendi promptitudine.

Risca historiographorum monumenta testantur M. D. Gabriel. Romane olim Reipub. moderatores, non tutandae solum: sed & augendae religionis ideo fuisse studiosos. Ut dectm p̄ecipios principum liberos, quō sacrorum ritus, idolorumq; cultus perdisserent singulis Hetruriæ urbis Senatus consulto tradiderint. Cuius rei & ipse haud expers, modis omnibus enīt operæ preium duxi: ut quantisper te instituendi officio fungar, tuas semper uellitatem aures, ne ingenuarum tantum artum: uerum & beatioris uitæ rationem haberet. Quid enim? si Academicis Peripateticis disiplinis animū excolas? Demosthenis uel Ciceronis luernā oleas? et Numen coeleste ærnere non posis. Itaq; nuper se mihi obtulit, Antonij Sabelia disertissimi uatis, de uirgine deifera, Idyllion sanè & uenustū & pudicum. Quod qdē pensitati mihi, quantū ad tuæ salutis incremetū cōmodi adderet, si legeres, placuit euestigio, ut stanneis imprimeretur caræteribus. Cui uero nūc patim adscriberem, p̄eter te habui prorsus neminē. Præsertim cū hæc Christi para diua, incliti Pannonie regni peculiaris sit & patrona, & tutatrix, quā nūq; nō iplorabundus ueneraris, et ardētissimo cordis affectu collaudas, qcquid ergo id ē munericā Magnificētia tua boni cōsulat, libellūq; alieno Marte elaborata alacri uultu, fronteq; serena suscipiat, ac felicissime ualeat Nestoris uictura per annos. Cracoviæ. xiiij. Kalen. Octobris. Anno ab orbe redēpto. I S 24.

EIVS DEM, AD PRAECOCIS INGENII IVVENEM
M. D. Emericu Drugethū Homonnum, in libellū
comendationem, Epigrāma extemporariū.

P Annios inter proceres Emericæ propago
Maxima, Drugethi dulcis alumne Laris.
Si phalerata iuuant Vatum figmenta, nec ista
Displœant castæ carmina Calliopes.
Non hic Tyndaridis trati reanuntur amores,
Iliadum pro qua Pergama pressa iacent.
Non Cypriæ natus uoluer, luxiue nefandi
Pasiphæs Christi sed genitricis honor.
Inlyta uirgineæ reatatur stirpis origo,
Astricole dehinc p̄econia sancta deæ.
Propterea laudes cœlesti promere Nymphæ,
Si cupis, hoc Maræ dulce poema lege.



1880/

MARCI ANTONII SABELLICI VIRI OM-
NIVM IUDICIO DOCTISSIMI
DE VIRGINE DEIPARA
ELEGIAE XIII.

IN NATALEM DIEM VIRGINIS, VNDE
ILLE POETICEN AVSPICATVS
est, Elegia prima.

V irginis alma dies, tellus quā pontus & æther
Laudat, & immensi regia tota poli.
Salve festa dies cœlestis conscientia partus,
Virgineo salve digna puerperio.
Venturam cecinere pñ te carmine uates,
Teq; sybillini non tacuere chori.
At tibi nascenti quis prænuncius ȶret
Splendidior solito lucifer ater erat.
Iret & aurato coniūx Tithonia currū,
Candidior cygnis candidiorq; niue,
Fuscius illa tamen uisa est quis credere possit,
Quāvis zelotypo sit placitura uiro.
Clarius astrifero sydus splendebat olympos,
Cedere cui potuit Phœbus & alma soror.
Illius aduentum manes sensere profundi,
Cerberus & Stygiam qui regit arte ratem.
Cynthius oceano nitidum cū tolleret axem
Et matutinis surgeret actus equis,
Vidit ut insolito radiantem lumine mundum,
Numine nonnullo sensit adesse diem.
Quid cunctamur ait tantos ne morabimur ortus?
Nascere iam fas est nascere sancta dies.

Añ

Dixit & extremis subito se prodit ab Indis.
Cætera spectasse nil nisi splendor erat.
Non pluuios lux illa Notos, Boreamue niualem,
Sed mollis zephyros sensit & Ethesias.
Credita nec cœlo est longis erroribus ulla,
Dulcia sed uernans carmina fudit aus.
Perq; diem nulli tentarunt bella leones,
Nullaq; montanis præda petita lupis.
Perq; diem tuti iacuerunt littore phocæ,
Forsitan & stygiam non tulit unda ratem.
Pallidus inuisis orcus parsisset & umbris,
Parcere si poterat tristior ille locus.
Pulchra fuit mundo fulsis quæ prima recenti.
Nempe dies, longe pulchrior una tamen.
Pendebant mites in apricis collibus uuæ,
Strataq; erant passim poma sub arboribus.
Preferat Erigones flagrantem Cynthius aluum,
Instabatq; procul nec glacialis hyems,
Libra diem tacitis æquabat noctibus, & iam
Spirabat tepido missus ab axe Notus.
Verna fuit tamen illa dies uernare putasse
Equoreos fluctus, æthera, rura, polos.
Hæc est illa tui sacri lux conscia partus
Anna parens, tantæ uirginis Anna parens.
Fœlix cui matri mater ueneranda Tonantis
Annuit, Ethereo suspicienda throno.
Ulinç maternos uultus miratur & ulnas,
Et quæ se toties sustinuere manus.
Natalem celebrate sacrum Garamantes & Indi,
Hesperiae gades, & Boreale solum.

Hunc immensa colat tellus, hunc pontus & æther,
Cœlestes mentes, sydereiq; chori.
Ipse ego pampineo seruatis mensibus anno,
Virginis ante aras mascula thura dabo.
Solennemq; diem traducam carmine & hymnis,
Suspendamq; sacro munera nostra tholo.
Immodicasq; preces addam, da Virgo quotannis
Ipsa tuo uati mystica sacra coli.
Tu uero æternum quoties lux alma redibis,
Sæpius hoc uultu uel meliore nite.
In Regiam Progeniem Virginis Elegia secunda.
REgia progenies regis' ueneranda creatrix,
Sydera cui parent tartareiq; lacus.
Natales regina tuos en tollere cantu
Aggregior, ceptis intemerata faue.
Annue & æternum ualeant Permessidos undæ,
Phocaicæ laurus, Lybetridumq; chori.
Tu cinosura mihi medio dux certa profundo,
Montibus & syluis tu mihi fida comes.
Sed quid regalem repetane ab origine gentem?
Et qui te sancti progenuere patres?
Prodit in exhaustum series immensa laborem,
Pauca sequar multum sic quoq; gliscet opus.
Ille pius uates diuini carminis autor,
Ille senex gentis gloria prima tuæ.
Qui nō æquoreos fluctus cœliq; meatus,
Dura nec Eoli carceris imperia,
Qui non Magnanimos reges non tristia bella,
Sed secreta poli prodidit eloquio.

A ij

Cælitus o quoties raptus super aethera sensit,
Vnius & trini numen adesse dei.
Ter ueneranda tribus quoties lux una figuris
Est quoq; sydereo uisa sedere throno.
Virgineos partus & mystica fata nepotis
Credibile est etiam tum didicisse senem.
Cætera fatidico meditatus carmina plectro,
Creditur ante ipsam præcinuisse diem.
Huius Idumeæ post fatū conditor aræ,
Rege satus Salomō regia sceptrum tulit.
Hunc sequitur Roboam, Roboā trieteris Abiæ,
Qui subit Aethiopem contudit Asa ducē.
Inde phylis: litissima regna tributis,
Ille tenet cuius nomina pauit Arabs.
Mox uidere Ioram non mitia sydera regem,
Sydus Ochozias tristius inde tulit.
Difficiles audax populi molitur habenas,
Que ruit ante sacras sanguinolenta fores.
Hinc regit ille puer quem inter miseranda suorum
Funera, nutrices surripuer manus.
Victor Amasias scelerato sanguine manes
Vindicat, & patris regia signa tenet.
Cui uix una tribus lustris accesserat æstas,
Subsequit fato deteriore puer.
Inde subit sacræ posuit qui limina portæ,
Limina Ryphæa candiora niue.
Magnus Achaz hosti poenas sua sacra relinquens,
Dat pro neglecta religione syro.
Imperat ille pius templi qui sancta reclusit
Limina, & antiquos iussit adesse choros.

Ditior hic Chræso celebrat quē fabula Lydo,
Ditior Idæo Laomedonte fuit.
Te tacitus eram luci fabricator et aræ,
Sed ueneranda domus me racuisse uetat.
Huic succedit Amon, cuius post fata Iosias
Regnat, & in uanos concitat arma deos.
Euertit magicos lucos, euertit et aras,
Maioris fassus numem adesse dei.
Quid loachim reliquosq; canam, post tristia regni
Excidia, illustres qui subiere uiri?
Fatidicosue senes, num carmina sacra reuoluam?
Coelicolumq; patrum sancta ministeria?
Tu mihi uirgo satis summa ad præconia, siue
Epica plectra magis, seu magis ista placent.
Tu splendor, tu gentis honor, tu summa tuorum
Gloria, & antiqui fama suprema laris.
Deniq; tu quicquid poterit succurrere uati,
Ara tibi erecta est, ad tua sacra ueni.

QVO RITV SIT AD DIVE VIRGINIS
ARAM SACRIFICANDVM,
Elegia tertia.

Crrite uirgineas circum disponite lauros,
Qua rudis hæc dominæ tollitur ara meæ.
Ite instat solenne sacrum properate ministri,
Absit et a uotis uana supersticio.
Haud quisq; ante aras aurata fronte Iuuencum,
Lanigeram ue mihi de grege sistat ouem.
Non caper hic Baccho, uiuax non cerua Dianæ
Non tibi Phœbe celer hic cadit ictus equus.

Irrita sacra uacent iam, iam uacet irritus ille
 Sacrorum ritus, quem tenuistis avi.
Proh furor ille fuit, gaudent non sanguine, quis nam
 Ignorat cœli numina sed precibus.
Ter lustratus aqua niueaq; in ueste sacerdos,
 Prodigus archanis det pia thura focis.
Stent pueri circum trepidi, innuptæq; puellæ,
 Perspicuus certa uirginitate chorus.
Quem si forte iuuat festas ductare choreas,
 Comprimat intonsas candida uitta comas.
Succincti niueas uestes, altaria circum
 Virginis ethereæ numina magna uocent.
Sacrificis Nabathæa focis dent thura ministri,
 Dent quoq; Coriçij mollia fila croci.
Stet matrona procul moneo, procul inde resistat
 Quæcumq; est primos passa puella thoros.
Non Floræ ludicra paro, non orgia Baccho,
 Mollia Cecropiæ non paro sacra deæ.
Sed quæ præcipuos meruit gestare triumphos
 Perpetuumq; decus uirginitatis habet.
Non hanc lasciuu motus, risusue procaces,
 Sed sincera fides & pia thura mouent.
Hic uoces iactare piás ad sydera fas est,
 Exaudit iustas uirgo uocata preces.
Thuricremas moneo uenerabere uirginis aras,
 Protinus & tutum carpe uiator iter.
Hinc licet & Typhis committat carbasa uentis,
 Non nisi mitificas sentiet Ethesias.
Vota hic maturis pro frugibus annua sifstat
 Vinitor, & quisquis uomere sulcat hnmum.

Hanc pro fœtura pecorum tutela magistri,
 Pro grege munificam rite litate deam.
Hic pacem qui pacis amat læta ocia quærat,
 Quæritet & supplex hic sibi pauper opé.
Non nisi uocalis quis modo mutus abibit,
 Claudus erat celeri cesserit inde gradu.
Audiet & surdus, fuit & qui lumine captus
 Protinus aspiciet fassus adesse deam.
Deniq; quisquis erit sanctas qui aduenerit aras,
 Virginis implore et numina magna meæ.
Nos quater o liceat totis uenerabimur annis,
 Quem de cespitibus fecimus esse locum.
Cespitibus duris rudis hæc mihi tollitur ara,
 Viuere si fas est nil nisi marmor erit.
Hic & maturæ pendent de uitibus uuæ,
 Et cum decrescit frigida rursus hyems.
Dulcibus hic etiam uernant cum rura diebus
 Et cum triticei præteriere dies.
Supplicibus uotis stantes adolebimus aras
 Ignibus, effundet garrula turba preces.
Hic toto bona uerba die dixisse iuuabit,
 Sæpius & dominā thure litasse meam.

AD NAZARETH NATALE SOLVM
 VIRGINIS ELEGIA
 QVARTA.

Dic rogo Phœbeos quæ proxima suspicis ortus,
 Nascentis dominæ conscia terra meæ.
Illuxit quū læta dies qua diuia tonatis
 Humano generi est & tibi nata parens.

B

Quæ tibi signa dedit cœlum, quæ nuncius æther,
Qualis erat Ioachim regia parua senis?
Hic quāuis nitido Phœbus prodiret olymbo,
Hic minor ætherea lampade splendor erat.
Cœlestes circum cunabula parua ministri
Quot steterant trepido lucida turba pede?
Quales parua domus circumfundebat odores,
Quis dabat archanis mollia thura focis?
Netua dissimula mihi gaudia, suspicor ante
Cernere præsentes non meruisse deos.
O nimiū felix tellus tua si bona noris
Terrarum nulla es maxima terra fores.
Sic quoq; quis nescit Delos tibi cessit & Ida,
Ista licet uanos iactet & illa deos.
Cessit & æquoreis undis circūflua Cypros,
Illustrisq; Samos, Trinacriumq; solum.
Deniq; quæcumq; est tellus cōmenta per orbem,
Quos male pro superis thure litastis aui.
En age Phœbeos casus scrutemur & ortus,
Quaq; fremens calido spirat ab axe Notus.
His quoq; Riphæas addas licet anxius arcæ,
Nullus erit toto maior in orbe locus.
Non mihi maior erit quæ primos terra parentes
Aedidit, humanū proditur unde genus.
Non natale solum ponto quū mersa iacerent
Omnia, qui struxit rexit & arte ratem.
Non Moysi sint ampla licet cunabula tanti
Primorūq; trium tecta uerenda patrum.
Non quæ Magnanimos reges, magnosq; prophetas
Nouit Idumæi regia clara soli.



Prostratam bello tenuit te Roma, quid inde?
Non ualeam si non tunc quoq; maior eras.
Iactet Marte satos fratres, regesq; superbos,
Oebaliumq; addat ambitiosa Numam.
Quiq; reos cedi iussit se consule natos,
Tanta fuit patriæ gratia tantus honor.
Iactet & Ausonium spreuit quæ Chlœlia Tybrim
Quæq; fuit Laciæ fama pudicitia.
Et quem deceptæ plectentem crimina dextræ
Cernere magnanimus Porsena non potuit.
Quiq; sibi pontem passus post terga reuelli,
Ipsa licet contra staret Hetrusca manus.
Tercentum Fabios, Assertoresq; Camillos,
Nec quibus agnomen Aphrica uicta dedit.
Non Catulos, Deciosq; duos, geminosq; Catones,
Non capitolini nomina magna Laris.
Nec taceat Cossum, nec te Marcelle relinquat,
Non Curios parcus Fabriciumq; senem.
Tollat & immensum Syllam, Mariosq; feroce,
Pompeiosq; duos, Cæsareainq; domum.
Ipsæ etiā Tyriæ tollant se laudibus arcæ,
Iactet & ingentes Punica terra duces.
Neu sileant Gades, nec gens suprema Britanni,
Aruigarum fas est Aruigarumq; uocent.
Gallia si quid habet, si quid Germania laudent,
Cantet & illustris Græcia docta uiros.
Arsacidumq; genus memorent, & prælia Parthi
Et Ptholemæorum nobile stemma Pharos,
Clarior una tamen terraq; beatior omni
Nascentis dominæ conscia terra meæ.

Bij

Tu Bethleem summi regis ueneranda creatrix,
Crederis hoc ipsum præterisse decus.
Hanc primā immensi cœli fabricator & orci,
Factus homo mixto numine pressit humu.
Hæc igitur regem regum tulit, illa parentem
Vtraq; terra suo clara puerperio.
Ista uel illa coli digna est, sit longior ætas
Sentiet alterutrum munera nostra solum.
Nunc age uirgineo tellus memorabilis ortu,
Suscipe deuotæ munera parua lyræ.
Tu mentem metire tui non carmina uatis,
Munera non flectunt sed pia corda deos.

DE NATALI DIVE VIRGINIS AD ILLV/
STRES SVI SECVL VI POETAS,
Elegia quinta.

N Atalem celebrare diem paro uirginis almæ,
Virginis ante pium postq; puerperium.
Huc properate pñ uates cantare periti,
Lustret honoratum lauera sancta caput.
Ipse ego uirgineæ facilius modo uillicus aræ,
Gramineos sterno sedulus ecce thoros.
Hic sub pampinea carmen meditabimur umbra,
Quam fons perspicua leniter ambit aqua.
Stant circū platani, densæq; ex ordine laurus,
Cespitibus medio tollitur ara solo.
Lux solennis adest iam dum subsellia fixi,
Ite precor Lacñ fama suprema uiri.
Docte Philelphe ueni, fas est pater optime culta
Claudere pro tanta uirgine Sphorciadem.

Imperfecta seni ne sit sua Pheltria uati
Neue Sabine tibi Belgica bella moræ.
Tu quoq; ne cessa musis comitate Sicanis
Panhormita tuæ gloria Trinacriæ.
Huc Pontanus eat necnō mihi redditus oris
Pannoniæ maior nomine Callimachus.
Phileticumq; suum nil Hernica Nympha moretur,
Nil Verulana meū mœnia Sulpitium.
Huc Volscus, Marsusq; adsit, iuniorq; Catullus,
Adsit & arguti lauera Pierij.
Nec decantati toties remoréetur amores
Te mihi sed cultam Cosmice tende chelim;
Calphurni pia musa ueni, tuq; ipse uenito
Carbo ferox tanto conspicieude choro.
Dalmaticū Cypicū cupidusq; hic plectra requiro
Cenomani multum sobria Cymbriaci.
Tu Pilade comitate tuo doctoq; Catullo
Corneli huc adsis, huc & Alexis eat.
Hæc meus aurato teneat subsellia plectro
Cynthius Ausoniæ fama futura lyræ.
Creticus Argiuis adsit reuocatus ab oris
Et tibi qui fuerat Cretice magne comès.
Transeo sed multos forsitan quos fama recondit,
Et quorum nondum cognita musa mihi est.
At uos Pieridū uates decus ite uocati,
Qui solennis adest hunc celebrate diem.
Omnia uirgineo resonent mihi carmine & hymnis,
Non nisi per laudes dux genialis eat.
Ipsa sui interea patris miranda creatrix,
Etherea gratos spectet ab arce choros.

B. in

Illustresq; viros nunc primum forte reuulsos
Fontibus Aonijs, ad sua sacra uocet.
Et sibi facundo meditari carmina plectro
Gaudeat, æthereo conspicienda throno.

DE VIRGINITATE ciudem Elegia sexta.

Hactenus ecce tuos uirgo uenerabilis ortus
Diximus, & gentis nobile stemma tuæ.
Virginitatis honos mirandaq; gloria nunc me
Admonet, incepsum dirige uatis iter.
Non leuis exiguo uersatur puluere curtus,
Fluctuat in tenui non mihi linter aqua.
Planicies hinc uasta iacet, iacet inde profundum,
Siue paro terris pergere siue mari.
At faueas nullusq; meis moderetur habenis
Automedon, Tiphys nec regat ipse ratem.
Alter & Automedon medio certamine credar,
Alter & in medijs te duce Tiphys aquis.
Te sine conatus frustra meditabimur omnes,
Et sine te nullus proderit usq; labor.
Præterea non ipse mihi Berecyntius Athis
Luditur, aut quales pauit Adonis oues.
Non bis raptus Hilas, non tristia fata Licurgi
Vecta nec insolitis Hyppodamia rotis.
Deniq; non prisco decies cantata cothurno
Fabula, sed mentem grandius urget opus.
Ardua res certe est uani non indiga fuci,
Quæq; uelit plectro nobiliore frui.
Quisquis enim regina tuas comprehendere laudes
Audeat, & uersu præmia magna sequi.

Ille etiam memoret motus & sydera cœli,
Quam uernante die plurima uernat auis.
Quot Lybicæ spirante Noto glomerantur arenæ,
Et quot Cecropium uer populantur apes.
Plus tua uirginitas meruit q; grata Tonanti
Ordinis adstantis sancta ministeria,
Et plus q; quos ipsa super lux trina recumbit,
Cœlitibus cunctis numina grata chori.
Non tantū numerose Seraph meruisse putaris,
Deniq; non cuncti tam meruere chori.
Quem non Elisijs repetitus clamor ab aruis,
Quem non mille patrum cōminuere preces.
Virginitas hæc sola poli secreta tenentem
Creditur in terras eliciuisse deum.
O foelix nimium foelix quem non capit orbis,
In tua se fudit uiscera factus homo.
O nimium foelix cœlos qui & cuncta creauit
Lactasti tanto pignore digna parens.
O nimium foelix dextra sua regna tenentem,
Altrices cuius sustinuere manus.
Te cœlum te terra colit, te pontus & æther,
Forsitan & stygiæ te uenerantur aquæ,
Sis foelix quotiesq; precor reuocabere uati
Protinus huc adsis intemerata tuo.

DE PRAESENTATIONE VIRGINIS
AD TEMPLVM ELE/
gia septima.

Venerat alma dies qua te pia uota mariti
Soluere cœlicolis fas erat Anna tui.

Exierat teneris iam dum uirguncula cunis,
Ibat & intrepido pergere docta gradu.
O quales uoces q̄ dulcia uerba parenti
A edidit archano blanda puella sono.
Tanta quidem non talis erat cum uisa per annos
Posse capi Oebalio fertur amata Numæ.
Gratus uterq; parens ad limina sacra Tonantis
Limina Ryphea candidiora niue.
Suppliciter niuea stabatq; in ueste sacerdos,
Ante fores gratum constituitis onus.
Candida uestis erat præcinctaq; tempora lauro,
Cætera uirgineum non decuere caput.
Sic utriusq; manu templis illata parentum.
Constituit ante ipsum parua ministra tholū.
Gratius hoc quando productum munus ad aras,
Quando dari potuit uictima tanta deo.
Pluris parua fuit uirgo mactare parati
Ante aras natum q̄ senis obsequium.
Quā noua quæ primus libauit dona sacerdos,
Quā populi sanctæ deniq; primitiæ.
In populum hic oculos rerum sator ipse retorsit,
Cæpit & in melius uertere consilia.
Sperari cepta est misero concordia mundo,
Senserunt manes proxima fata pñ.
Hæc erat illa pñs toties repetita prophetis,
Exemptura sua uirginitate nefas.
Quicquid prima parens mortalibus abstulit, una
Virginitas tanti restituisse fuit.
Intermissa mouent quid te cōmertia natae?
Quid dederis nescis ne moueare parens.

Quod non uis auri totus ue redemerit orbis,
Quam das pro populo sola puella potest,
Hinc erit ille nepos insonti sanguine quite
Humanūq; uelit restituisse genus.
Horridus immensi trepidet quem ianitor orci,
Prorsus & infernæ nauita tristis aquæ.
Purget & Elysios campos, claustrisq; refractis.
Emergat qui auras uictor ad æthereas.
O felix cuiuscq; datum suffusa rubore
Cernere præsentis uirginis ora meæ.
Indolis o qualis species q̄ clara futuræ
Induerat uultus signa pudicitiæ.
Non sata mortali cœlo demissa uideri
Hic pudor, hic pietas, hic decor oris erat.
Virginibus subducta loci penetrale subiuit
In medio talis conspicienda choi.
Qualis nocte cadens prima inter sydera uesper,
Inter Amadriades Delia qualis erat.
Tu ueneranda parens cum coniuge parua reuiss.
Limina, iam uoti liber uterq; sui.

DE MINISTERIO VIRGINIS AD
ARAM IN TEMPLO
Elegia octaua.

D Icite Idumeæ uestra est nam fama puellæ,
Quando Palæstini plus meruere fori:
Quando magis licuit superos sperare secundos,
Quando fuit tantus religionis honor:
Quam dominæ quū dextra meæ gestabat acerrā,
Placabatq; suos parua ministra lares.

C

Dicte demissio properat dum singula uitia,
 Virgineo qualis sedet in ore rubor.
Numq; hilaris? non mœsta fuit per cætera? nonne
 Numinis omne fuit omen in alloquio?
Quid toties Vestæ sanū penetrale uetus las
 Vestalemq; refert ambitiosa chorum?
Integritas seruata metu non grata ministris,
 Sed patriæ ritus religionis erat.
Hinc pudor atq; metus sperataq; uerbera sœui
 Pontificis, Vestæ si periere foci.
Terrebatq; specus Collinæ proxima portæ,
 Non nisi pollutis cognita uirginibus.
Virgineum nūq; spargi mea uirgo cruorem
 Viderat, aut terris uiuida membra tegi.
Virginitas sed grata fuit quā parua Tonanti
 Vouerat, & sanctæ norma pudicitiae.
Non meruit sed si talem sortita ministram
 Vesta, foret patrum uana supersticio.
Credibile est uix sena deæ sat lustra fuisse,
 Emeritaq; manu se uoluisse coli.
Pro populo sola hæc faciat permittite magni
 Pontifices, sanctis det pia thura focis.
Vosq; Palæstinæ templi tutela puellæ,
 Fundite deuotas dum facit illa preces.
Cuius dextra magis poterit flexisse Tonantem?
 Aut quæ uenturo gratior esse manus?
Quā toties qua se gestandum destinet, aut qua
 Optet ab æthereo culmine lapsus ali.
Tu quoq; magna roga, quid enī tibi uirgo negatum?
 Ille uelit, cui sis sæpe uocanda parens.



At te humilē paruamq; geris trinitatiq; ministrā,
 Credis & in tanto te nihil esse choro.
Cunctarum tu iussa facis, dictataq; sacra,
 Bisq; die obsequium terq; operata pium.
Longe uæq; frequens adstas studiosa magistræ,
 Decessura pio non nisi iussa loco.
Synaicas leges & fata prophetica discis,
 Virgineæ fortis nuncia fata tuæ.
Proh quoties tantam matrem mirata precaris,
 O uenias oculis cōspicienda meis.
Virgo suprema ueni miseri spes unica mundi,
 Ante tuos liceat procubuisse pedes.
Figere prætentæ detur precor oscula plantæ,
 Et tua si non sim seruula credar ego:
Sed quid agis? cuiusue cupis dic serua uideris?
 Cuius ad optatos procubuisse pedes?
Si nescis tu illa es uirgo qua missus olymbo,
 Nascitur intacta uirginitate puer.
Eya age & exacto gemino tua præmia lustro,
 Præmia momentum grande salutis habe.

DE APPARATV VIRGINIEI TRIUMPHI,
 et in primis de ipsius currus ornatu,
 Elegia nona.

C Essit inexpleti tandem possessor Auerni,
 Et qua uictor erat hac quoq; parte iacet.
Ducite laurigeros huc templi ad limina currus,
 Sit uictrice nihil pompa futura minor.
Aureus axis erat, Temo aureus ornet eburnas
 Stellatasq; decet plurima gemina rotas.

C ij

Hic Carchedonij radient, Opalique rubentes,
Assimilis uiridi tuque Smaragde freto.
Chrysophilon durusque adamas, teretesque cylindri,
Et quod querenti dat tibi cythis Arabs.
Acopis & quondam precio spectatus Achates,
Fortis Alectoriae Gallaiosque duplex.
Multicolor mitrax necnon & candidus Ion,
Gasidas & uenis pulcher Apisce tuis.
Splendeat hic Arabes quicquid misit & Indi,
Arte laboratum cætera spiret ebur.
Atque duplex rerum series uiuiscere quarum
Altera credatur nobiliore manu.
Altera non notis rudiis celata figuris,
Nondum perspicuae religionis opus.
Hic spectare noui liceat primordia mundi,
Ut terras rerum condat & astra parens.
Iussus ut ælatas sedes sibi uindicet ignis,
Aer ut in medio persit & unda loco.
Vtque nouis ertent syluis animalia, primus
Vtque parens stupido corpore surgat humo.
Hic male contacti spectentur crimina ligni,
Et nece fraterna cōmaculata manus.
Exilio damnata domus tumidisque sub undis
Obrutus ut quondam maximus orbis erat.
Archa uetus, rectorque senex, sobolesque sub illa,
Et modo uictoris nobile stemma domus.
Obsequiumque senis prolem mactare parantis,
Et pueri infontis mystica uenditio.
Nec procul assurgent diuini culmina templi,
Gestaque cum populis prælia finitimis.

Niliacus carcer, desertaque errata, famelique,
Non nisi diuino contolerata cibo.
Diuisumque fretum nec non remeantibus undis
Spectentur Phariae quæ periere manus.
Igneus ille rubus Moses quæ uiderat: & quæ
Pumice percusso prosluisti aquæ.
Denique Synaicæ leges reparataque regna,
Pontifices templi, uirgineusque chorus.
Se quoque permixtam uirgo Galilea ministris
Cernat, & archanos saepe adolere focos,
Parte alia miranda quidé sint multa, nec ipsius
Intellecta nouis condita imaginibus.
Hic miretur uti sinuosis nuncius alis,
Portet ab æthereo culmine missus aue,
Inscia ut aspectu titubet uirguncula primo,
Tradat ut edocetas ad pia fata manus.
Atque eadem pregnantis uti montana sororis
Visat, ut optatum gentibus edat onus.
Spectentur pueri infontes infanda Tyranni
Imperia, & domini nuncia stella sui.
Vtque tribus perlata magis sint munera, & ipsum
Monstratum coelo tucius effugium.
Autorem texere suum deserta Canopi,
Concidit in matris plurima palma manus.
Fatidicusque senex reserans sua fata, relatus
More patrum rursus in sua templo puer,
Regis sancta cohors, & publica uerba salutis,
Et data bisenisi dogmata discipulis.
Obuius ut matri Stygio sit uictor ab orco,
Horteturque palam terque quaterque suos.

Ciij

Deniq; ut ad superos scandat, redditurus ad ipsum
Ultima post mundi tempora iuditium.
Ipsa licet media miretur singula pompa,
Tale decus rerum nesciat esse suum.
Ornet & Eo currus fastigia laurus,
Laurus perspicuæ uirginitatis honos.
Candida uela duo præstent, super aureus illis
Ales erit, cuius funera nouit Arabs.
Non niuei iungentur equi, non deniq; Tygres
Sub iuga, sed casti Monocerotes cant.

APPARATUS ET PROCESSVS VIR
GINALIS TRIUMPHI,
Elegia Decima.

S Cande triumphales iam uirgo Tamnea currus,
Pro foribus templi pompa parata tibi est.
Iam dudum captiua Phalanx præcedere coepit,
Post humeros lœuas turba reuincta manus.
Præcessit superis inuisa superbia, cuius
In sua consurgit cornua torua caput.
Infensæ comes est infensor ira sorori,
Pergit inexpletæ pallor auaritiæ.
Liuida cura subit, necnon damnata perenni
Torpore facies horrida desidia.
Consequitur Venetis species lutulenta nefandæ,
Formaq; damnosæ luxuriosa gulæ.
Otia fœda simul, simul est quoq; uisa uoluptas,
Et cum mortifero crimine culpa sequi.
Segnices & somnus iners, tactusq; nefandi,
Nequitàx, mollis luxus, inanis honos.

Eumenidum uictæ facies, et flumina auerni,
Deniq; præsigni præteriere nota.
Omne nefas claro præmissa est præda triumpho,
Ne tibi sis uirgo glorificanda moræ.
Thuricremis abscede focus, arisq; relicis
Virgineo prodi conspicienda choro.
Ipsa sed Eoo uictrix iam tollitur axe,
Victricesq; premunt laurea parta comas.
Instita uirginea abscondit candida plantas,
Perradiat niueos plurima stella sinus.
Non alius decuit quisq; me iudice cultus,
Indicium candor uirginitatis habet.
Ite licet Solymæ uestra est quoq; fama ministræ,
Carpite communis præmia militiae:
Consortes meriti collegaq; turba fuistis,
Sit tua tam claris gloria militibus.
Ite coronatæ uictoria tempora lauro.
Dextra gerat palmam, concutiatq; manus.
Proxima progressos comitetur turba triumphos,
Carmine uirgineum testificata decus.
Succedat numerosa cohors pompamq; sequatur,
Quæcūq; est nullos passa puella thoros.
Adsit et a Solymis uirgo digressa Cyliscis,
Adsit ab irriguis uallibus Hierici.
Accolit et quæ te fluuiu Jordanis amæno
Præfortunati conscientia Nympha uadi.
Si qua tenet diras famosi Asphaltidis undas,
Calirhoen medicam Generasamq; bibit.
Tharicien quæcūq; colit, Tenamq; Esebumq;
Et te Samario condita Lyda solo.

Intactas huc Tamna manus huc mittat Idumæ,
 Et Bedoros quicquid uirginitatis habet.
 Nec sit Gala moræ Raphiæ properate puellæ,
 Protinns & Lusam linquite & Epicheron.
 Vos nihil Hesseni fas huc mittere, nusquam
 Palmiferis errat fœmina nostra locis.
 Nec stimulat lasciuæ Venus sobolisue cupido,
 Sed sobolis prestat conuena turba uicem.
 Incola non desit Cassi, quem lumina Phœbi.
 Cernere nascentis nocte silente uolunt.
 Huc coeat Galilæa phalanx, Bethelæiaq; turba
 Quæq; colunt Piares ardua saxa manus.
 At uos municipes neu linquite uestra puellæ.
 Mœnia, sacrificis sed date thura focis.
 Ne mora sit rebus, uictoria signa propinquat,
 Ipsa triumphatrix gloria uestra uenit.
 Ite & uictori lingnis animisq; fauete,
 Reddite tam claræ præmia militiæ.
 Cingite mox lætam uelis & frondibus urbem,
 Gaudeat ignota relligione dies.
 Clamet Io uulgus repetitis uocibus, ipsi
 Seq; sciant nunq; plus meruisse lares.

DE CAVSIS DOMINICÆ ANNVNCIATIONIS ELE^{gia} undecima.

Iustitiae moderare tuæ gladiumq; remitte,
 Iustus es atq; idem crederis esse pius.
 Parce satis luimus miseranda crimina culpæ,
 Postera progenies inscia turba sumus.



Respice' possessum 'lygijs prædonibus orbem,
 Desinat antiquum perdere cuncta nefas.
 Numen in immensum primi cole parentes,
 Supplicij immensus debuit esse tenor.
 Sed tua te pietas flectat generator olympi,
 Poenarum exhaustum credimus esse satis.
 Te cœlum, te terra rogat, te pontus et æther,
 Muscosi fontes, perspicuiq; lacus.
 Ad te stagna soli, sinuosa flumina clamant,
 Clamat ab immensis cedula sylua iugis.
 Indomiti colles, possessaq; rura colonis,
 Seu rigeat Bruma seu modo uernat ager.
 Te uolucres, piscesq; rogant, te grandia cete,
 Quadrupedumq; greges, omnigenūq; pecus.
 Quicquid in humanū uertisti conditor usum,
 Immemorem domini te uetat esse sui.
 Cui spectanda olim numerandaq; sydera cœli,
 Cui data terrarum machina tota poli.
 Cui quoq; debuerant animantia cuncta teneri,
 Tartareo mersus sub phlegetonte iacet.
 Illa tibi assimilis species iacet obruta flammis
 Autoris mundo nuncia forma sui.
 Humanum miserata genus te cuncta precantur,
 Teq; rogant populi contrahe fata tui.
 Hoc rogat Eliphls clamor repetitus ab aruis.
 Quid ueteres tantū comineruere patres?
 Ut sileam fauces contusaq; pectora gustu
 In medio, fama est indoluisse uirum.
 Supplicium doluisse tamen poenamq; perennem
 Comminuit, tanti poenituisse fuit.

D

Te uocat ille senex oppressæ conditor arcæ.
 Qui nisi bisdena cessit olympiade.
 Te Moysi spectata fides, atq; impigra fratris
 Imperia, et sanctæ præmia militiæ.
 Te patris obsequium meditantis funera nati,
 Quo casura magis uictima grata foret.
 Te quoq; longæui mitissima fata parentis,
 Vnde perillustres exiluere tribus.
 Te pietas nati frattrum quem turba perodit,
 Fatidiciq; rogan sobria plectra senis.
 Clamat Idumæi templi molitor & aræ,
 Et qui nos docuit tristia fata pati.
 Virtutum numerosa cohors tibi deniq; ab illis
 Sedibus extensas tollit ad astra manus,
 Promissam sobolem poscunt pignusq; salutis
 Omnia & aduentus tempora læta tui.
 Tu natum demitte polo sator alme, reperta est
 Fertilis et tanto semine digna seges.

DE VI CATHOLICAE FIDEI ADVER-
SVS VETERES COELI PER-
scrutatores, Elegia duodecima.

A Strorum potuisse nouos deprendere cursus,
 Vestra Parethonij est gloria magna uiri.
 Ite licet radio partam prætendite palmam,
 Sitq; perenne decus, sitq; perennis honor.
 Cœlorum seruare uices docuisti & astra,
 Quod monstrasti iter postera turba terit
 Paulatim uasti uobis autoribus ipsa
 Innotuit moles irrequieta poli.

Vtq; hæc bissemis totidemq; fugacibus horis
 Vertatur tacita lubricitate semel.
 Continuo errantis lunæ solisq; labores,
 Cognita et obliqui semita Zodiaci.
 Inq; duodenas abiit discreta figuræ
 Zona uagaturis peruia syderibus.
 Mox quibus inter se spacij ea sydera distant,
 Septenosq; fuit discere cura tonos.
 Quo non læte senex tu te Saturne receptas,
 Quo Louis Idæi prospera stella micet.
 Ut gelido Mars mixtus auro per uictrica regna
 Temperet affinem mitificetq; louem.
 Ut gemina uersere domo tu bellice monstri,
 Terga Cleonæi non nisi Phœbus amet.
 Hinc Veneris notuere lares dubijq; meatus,
 Lux quoq; Phœbæis æmula lumenibus.
 Quo facunde loco mediteris fata repertum est,
 Cylleni et Phœben quod iuuet hospitium.
 Præterea ignotum ne quid mortalibus esset,
 Scrutata est geminos improba cura polos.
 Deprenditq; pari cursu per climata labi
 Dissimiliq; tamen sydera curriculo.
 Inde hyadas Pleiadasq; notat Cressamq; nitentem,
 Quam teneat cœli piscis uterq; plagam.
 Qua regione poli spacietur lubricus anguis,
 Quo situs Arctophylax, quo Cynosura loco.
 Nec superas reserasse fores contenta quieuit
 Mens hominū, nixa est ulteriora sequi.
 Defectus hic Phœbe tuos prædicere Grais
 Ante diem latio nititur ille suo.

D 5

Vnde imbris mixtiq; ruant cum grandine Nymbi,
Hauriat unde suas concolor arcus aquas.
Quid tam dira micent turbantes regna Cometæ,
Vnde micent subitæ Bolides unde faces.
Et quæ tam densæ iacentur fulmina nubes,
Fulmina quid possit elicuisse polo.
Quid Boreas Zephyriq; ferat, qdus Ausler et Euri,
Quis pluuius terris, quisue serenus eat.
Felices cœli mentes rerumq; capaces,
Durat adhuc uester quæ peperisti honos.
Peruentum ad limen cœli est postescq; reclusi,
Altius attolli non potuisti aui.
Casuros lapides cœlo cecinisse uetus as
Creditur, o mira cognitione uiri.
Non speculæ, Phariæq; rudes, numeriq; sequaces,
Nullaq; adhuc tanti sedula cura fuit.
Scrutari secreta poli sedesq; beatas,
Et quæ sustineant pondera grata throni.
Vna quidem species ternis discreta figuris,
Hic pater, hic natus, luxq; sequestra nitet.
Trinus et unus amor, tria est atq; una potestas,
Hic deus atq; ille est tertia forma deus.
Ecquis ubi illa aderat mundo promissa precanti,
Felices inter semper habenda dies.
Qua noua progenies mitti debebat olymbo,
Progenies nostrum soluere missa nefas.
Quis rogo consensu mentem ter rite uerendi
Verbaq; mirandi mutua consiliū?
Deniq; quis nouit solij decreta superni?
Non homo, sed tantū religiosa fides.

Affuit hæc testis, uiditq; hæc una, quod ipsi
Discere cœlestes uix meruere chori.
Hæc eadem nobis cœli penetrare reclusit,
Traxit & in superas pectora nostra domos.
Cedite iam Phariæ mentes, curæq; procaces,
Quod canimus uestra sedulitate caret.
Non radij nūc si qua latent non astra recludent,
Sed mihi sancta comes duxq; futura fides.

AD DIVAM Gratiarū Virginē, Elegia xiij.

O Patris ueneranda parens, o filia' nati
Sydus et astriferi ianua sancta poli.
Accipe diua pñ non impia munera uatis,
Laudibus immixtas accipe diua preces.
Ante thronū nati supplex tu crima mundi
Diluis, et mundo pandis ad astra gradum.
Iram sæpe tuæ lachrimæ flexere Tonantis,
Sæpe minas lachrimæ cōminuere tuæ:
Humanum fortasse genus perīset, & orbis,
Et potuit rursus mergere cuncta chaos.
Maternæ ni rite preces, natiq; patrisq;
Fregissent iusti fulmina iudicij.
Per te tuta quies, per te sunt otia terris,
Pressa iacent merito bella nefanda tuo.
Te duce tuta ratis tumido uolat æquore, tutū
Quilibet orbe uagus te duce carpit iter.
Tu pia uirgo facis q; sua munera cœlum,
Supplicibus sola es portus et aura reis.
Præsidium lapsis, sola es lux unica cæcis,
Quodq; datis fruimur tu pia uirgo facis.

D ij

Humanū tutare genus lux almā, tuamq;
Perge precor sobolem cōciliare tuis.
In primisq; pios hæc paruula tecta penates,
Deuotosq; tibi protege diua lares.
Præside te pueri ualeant iuuenesq; senesq;
Et cum uirginibus turba pudica nurus.
Arboribus fœlix fœlix sit frugibus annus,
Sitq; ferax tellus omnigenūq; pecus.
Pax et læta tuos soueat concordia ciues,
Inq; uicem populus seq; senatus ament.
Quam tibi sponte pius cessit Geruasius ædem
Incolis immodica relligione locum.
Fac rata uota pñ uatis regina precesq;
Proq; rudi nitidum te penetrale manet.
Quod lapis est mox marmor erit, splendebit et auer.
Hæc templi facies, quæ cariosa tibi est.
Centum thure pio sertisq; recentibus aræ,
Spirabunt tepidis quæq; operata focis.
Exoluent populi seq; hæc ad limina uotis,
Suspenderentq; tuo grandia dona tholo.
Hæc te diua manent maioraq; præmia, sed tu
Sæpius huc adsis rite uocanda tuis.

ΤΕΛΟΣ

Excusum Cracoviæ apud Hieronymū Vietorē.
Anno domini M. D. XXIII.

